



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

26. Dies Augusti. Fides, orando impetrat; quod lex imperat. S. August. ad  
Bonifac. c. 5.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

reddatur; confert Deus Sacerdotibus vim quandam tantum non infinitam, quâ illum reipsâ efficiant, seu producant. Deinde, ita illum rependere, summi meriti est, & summæ, ad nova beneficia obtinenda virtutis. Hic igitur, jam cognoscis, quomodo per Eucharisticum sacrificium, grati animi partes omnes exequi possis. Fieri enim non potest, ut possis pro omnibus Dei donis, gratis, favoribus, beneficiis gratior Deo existere, quàm per hoc sacrificium. Quomodo enim posses copiosius æterno Patri gratias, quàm per Cor, & linguam ipsius Christi; quàm inquam, per ipsum totum, qui, ad gratias nostræ nomine habendas, in cor, & linguam vertitur? Multa debes, redde quod debes: nam

*Mutua, quæ debes, reddendo solvere debes.*

## 26. DIES AUGUSTI.

Fides, orando impetrat; quod lex imperat. *S. Augustinus ad Bonifac. c. 5.*

Sacrificiū I. **U**bi multa imperantur, multa, necesse est, impetrentur: plurima imperantur lege, quæ facile impetrantur Fide. Sed, si usquam ad impetrandum debeat Fides, suas exerere vires, est in sacrificio illo incruento, quo quotidie Deo offertur Deus cruentus. Quid poterit Pater Æternus negare, dum illi litatur talis victima, quâ nihil illi possit esse gratius; & quæ veniam pro reis, tot rogat vocibus, quot corpus patet vulneribus? (a) Impegerat colaphum Gregarius miles, Leoni Peretie juveni nobili, & præservido, & mox fugam miles arripuit.

(a) *Rho. in exemp. de Eucharist.*



ripuit: at hic furoris impetu illum affecutus, in Templo, injectâ ejus collo alterâ manu; elatum alterâ manu pugionem jugulo admovit, illum jam jam jugulaturus; tum verò miser ille, visâ, quam fortè Sacerdos ad Aram exhibebat, Hostiâ: *Per hanc*, ait, *te obsecro, parce*; cum repenti fracto furoris impetu, veniam ab eo Divina Hostia extorsit, hâsque voces: *Hæc te servat*; simulque mucronem vaginâ condere coegit. Si ergò, Juvenem illum furore percitum, instantemque morti inimico inferendæ, sacra illa Hostia subito revocavit, quid poterit ad placandam Divini Parentis iram? Quid? quod probabilis sit aliquorum Theologorum sententia, Christum orationem suam conjungere, cum omni hujus sacrificii oblatione, eamque ad aliquid impetrandum referre? Quia si Christus ipse primarius sit sacrificii offerens, primariusque Sacerdos: igitur, illud offert ad præcipuos illius fines, atque adeò ad obtinenda mortalibus salutis præsidia.

II. Quid? quod in cælo orare dicitur, ut merita sua hominibus applicet? Cum ergò, eorum fructus, per sacrificium præsertim, iis erogetur, an dubitabis, num in Altari hunc in finem Patri supplicet? Quare affirmare possumus, Dominum Jesum in Arâ Legatum agere mortalium, nostrumque Oratorem. Quâ in re observare licet, tum maximam ipsius demissionem, qui è Regia cœlesti quasi delapsus, id muneris gerere dignetur; (perinde, ac si nobis inferior esset, cum legatus sit minor eo, qui ipsum delegat) tum vim Eucharistici amoris, qui ad hoc eum impellit. Quid? si eundem in Altari Advocatum pauperum appelles, gratis causam hominum agen-



agentem? Hinc verò possumus appellare Altare, Cancellariam, ut ajunt, libellorum supplicum, à filio, Deo Patri offerendorum. Itaque libellos tuos supplices defer ad Aram, & defer, quàm potes, plurimos. Oratorem habemus apud Patrem, ipsum ejus filium, eandemque sapientiam, & eloquentiam Increatam, illum denique, qui, quam gratiam petit, ut debitam sibi à Patre postulat, neque potest aliquando pati repulsam. Sed sequitur alius, ad quid vis impetrandum, modus. Nihil solet tantum habere momentum ad quid obtinendum, quàm si offeras rarum aliquod, & pretiosum donum. Illud hinc agitur: quia Christus non simpliciter in Altari Patrem flagitat; sed ita flagitat, ut impetrando quod petit donum supra omne donum offerat, scilicet se ipsum.

III. Omnino opportunum huic argumento est illud Sapientis, qui de dante munera agens: (a) *Animam*, inquit, *aufert accipientium*. Aufert profecto Animam Patris, id est, voluntatem ejus, quasi rapit, & facit suam, ut quæ mortalibus petit, obtineat. Jam verò, cum non tantum sit donum omnium donorum Divinissimum, quantum opis, & favoris sperare possumus ex sacrificio, cum par illius dono respondeat, & affectus donantis: quia non solum offert filius Patri donum infinitum, sed offert & affectu infinito. Quid igitur posset fingi, quod non possemus vi sacrificii unius impetrare, modò tantum audeamus, & credere nos posse impetrare, & confidere nos certò impetraturos? Accedit, quod & ipse Sacerdos, non modò Christus, eum in do-

num

(a) *Prov. 22.*



Augustus.

Tessera.

673

num Patri offerat: imò, non tantùm Sacerdos, sed & alii, qui aliquid ad sacrificium conferunt, vel etiam ei ritè intersunt. Quantùm igitur hinc potest nobis erigi fiducia quidvis impetrandi. Quis non intelligit, multò plus hîc Patri offerri, quàm nos conferri nobis petimus, aut possimus petere? (a) Notum est ex D. Gregorio, cujusdam captivi vincula, sacrificii tempore, quod uxor pro eo sæpiùs fieri curabat, quoties fieret, fuisse soluta? sed Deus, si ob sacrificium conferat bona corporalia, multò ut libentiùs, sic & liberaliùs conferet spiritualia. Unde Justinianus Patriarcha V enetus dicit, vi hujus sacrificii, (b) *Gentibus fidem, latiam mundo, credentibus gaudium, unitatem populis, Sacramentis legalibus finem, initium gratia, virtuti robur, hominibus pacem, lucem mentibus, spem laborantibus, peregrinantibus viam, & pervenientibus tribui speciem* Hîc igitur, ut quidvis impetres, nil requiritur, nisi, ut credas, fidas, ut speres, fiducia, te per Christum quidvis obtenturum. Nimis enim, quàm certum est illud incertâ Poetæ:

*Atria sunt celi, menti patefacta fideli.*

## 27. DIES AUGUSTI.

Sacrilegii genus est, Dei odisse cultores.

*Salvianus l. 8.*

Sacerdo- I.  
tes hono-  
randi.

**S**ubstituimus sacrificiis, eorumque ministros, qui sacrificia peragunt, Sacerdotes; singulari cultu honorandos esse Sacerdotes, fuit ab omni sæculorum memoriâ, communis omnium

*Pars II.*

Vv

gen-

(a) *L. 4. Dialog. c. 2.* (b) *Serm. de Eucharist.*